

PROOEMIUM.

Utilitatem, necessitatem ac difficultatem dicendorum perstringit, itemque quo ordine sint exponenda proponit.

Quia parvus error in principio magnus est in fine, secundum Philosophum in 1 de Caelo et Mundo, ens autem et essentia sunt quae primo in intellectu concipiuntur, ut dicit Avicenna in 5 Metaphys., ideo primo, ne ex eorum ignorantia errare contingat, ad horum difficultatem aperendum, dicendum est quid nomine essentiae et entis significetur, et quomodo in diversis inveniatur, et quomodo se habeant ad intentiones logicas, scilicet genera, species et differentias. Quia vero ex compositis cognitionem simplicium accipere debemus, et ex posterioribus devenire in priora, ut a facilibus incipientibus convenienter fiat disciplina, ideo ex significatione entis ad significationem essentiae procedendum est.

De origine et ordine cognitionis,
sive de primo cognito nostri intellectus.

QUESTIO

Ens et Essentia sunt, quae primo in intellectu concipiuntur.

In hoc aureo et perinsigni opusculo, quod S. Thomas vestigia Aristotelis in philosophando primis primis aetatis suae tempore extraxit, jacta ac posita conspiciuntur a Doctore Angelico fundamenta ac veluti semina humanae divinaeque illius doctrinae, quae postea tanta ingenii laude, tantaque sapientia per plura volumina explicavit. Quilibet exiguum hunc mole, breviaque libellum pervolutum illico apparet, in eo capitulatum tradi praecipua totius Metaphysicae capita, quibus usus est Aquinas ad omnes quaestiones tum theologicas tum philosophicas rite enodandas. Quocirca eius assidua lectio, ejusque intelligentia non solum utilis, sed admodum necessaria censenda est ad comprehensam animo, quae Sanctissimus Doctor de Deo, robustum exercitum tanta veritatis luce conscripsit, ut nominari promeruerit a Paulo V. P. M. «splendidissimus fidei athleta cuius scriptorum clypeo militans Ecclesia haereticorum tela feliciter elidit.» (*Bulla ad Neapolitanos*).

Orditur auctor a conceptu Entis et Essentiae illamque aente, ac diligenter explicat: propterea quod prima, quae intellectui nostro obversatur, ac imprimatur est conceptio Entis, siquae foecundissima exhibet semina illius quaestiones, quae disputatur de natura, origine et ordine cognitionis nostrae intellectivae. Hanc quaestionem postmodum in Summa Theologiae et in ceteris suis operibus mire amplificavit, et a tenebris illis vindicavit, in quas tam variae tamque discrepantes omnium fere aetatum philosophorum sententiae ipsam conjecerant. Doctrinam Aquinatis, quam ab Aristotele mutuatus

fuerat de origine et ordine cognitionis nostrae his capitibus conclusam habetote. 1º Intellectus noster quam sit facultas animae spiritalis, sed quae est forma subiecti materialis, intelligit abstractendo a rebus sensibilibus species intelligibiles, quae representant rerum corporatarum quidditates universales. Essentia quippe abstracta a rebus materialibus, et a materiae appendiciis, hoc ipso, universalis dicenda est. Ut hoc suadet principium illud assumit, nimirum: objectum cognoscibile virtuti cognoscitivae proportionatum esse debere, illudque accommodat triplici diversae cognoscitivae virtutis gradui (l. p. q. 85 a. 1, 2º Explorata hac fundamentalis doctrina, ulterius pergit, et ex eo quod intellectus sit universalium, quia abstractum per abstractionem aphantasmathibus, aperit viam aditumque ad demonstrandum universaliora esse priora in nostra cognitione, quam minus universalia; quia intellectus procedit de potentia in actum ac prout ab imperfecto ad perfectum, sicut in omni rerum institutione contingere solet, in qua videas ipsam naturam a primis et inchoatis ad perfecta, et absoluta suo quodam itinere progressi, ac pervenire. Porro notitia rerum in universali est notitia incompleta, secundum quid, et quodammodo in potentia; merito ergo affirmari debet, primum cognitum ab intellectu nostro cognitum actuali confusa esse Ens concretum quidditati sensibili; quum ratio entis sit universalissima, imperfectissima ac maxime potentialis. Ipsum praestat audire Aquinatem naturam cognitionis nostrae enodantem.

«In cognitione nostri intellectus duo oportet considerare. Primo quod cognitio intellectiva alieno modo a sensitiva primordium sumit. Et quia sensus est singularium, intellectus autem universalium; necesse est quod cognitio singularium quod nos prior sit quam universalium cognitio. Secundo oportet considerare quod intellectus noster de potentia in actum procedit. Oratio autem quod procedit de potentia in actum prius pervenit ad actum incompletum, qui est medius inter potentiam et actum, quam ad actum perfectum. Actus autem perfectus ad quem pervenit intellectus, est scientia completa, per quam distincte et determinate res cognoscuntur; actus autem incompletus est scientia imperfecta per quam scilicet res indistincte sub quadam confusione. Quod autem sic cognoscitur, secundum quid cognoscitur in actu, et quodammodo in potentia.... Manifestum est autem quod cognoscere aliquid, in quo plura continentur sine hoc quod habeatur propria notitia uniuscuiusque eorum, quae continentur in illo, est cognoscere aliquid sub confusione quadam. Sic autem potest cognosci tam totum universale in quo partes continentur in potentia, quam totum integrale; utrumque enim totum potest cognosci in quadam confusione sine hoc quod partes distincte cognoscatur. Cognoscere autem distincte id quod continetur in toto universali est habere cognitionem de re minus communi, sicut cognoscere animal indistincte, est cognoscere animal, in quantum est animal. Cognoscere autem animal distincte est cognoscere animal in quantum est animal rationale, vel irrationale, quod est cognoscere hominem, vel leonem. Prius ergo occurrit intellectui nostro cognoscere animal, quam cognoscere hominem. Et eadem ratio est si comparamus quodcumque magis universale ad minus universale.» (l. p. q. 85, a. 3.)

Haec doctrina, quam S. Thomas tanta perspicacitate declarat, ut ipsa natura ejus ore videatur locuta, communis fuerat Boetio, et pollicitoribus Scholasticis, nimirum Alberto M. (*De intellectu, et intelligibili* lib. I. tract. II. esp. 1) et Bonaventurae (l. sent. dist. 39 a. 1. q. 2.) qui omnes in hac re Aristoteli adscripti sunt. Philosophus namque explodens sententias veterum, qui non satis distinguentes inter intellectum et sensum tradebant objectum proprium intellectus esse singulare corporeum; et oppositum relictens Platonis placitum, qui, ut inmaterialitatem facultatis intellectivae in toto collocat, species rerum per se subsistentes commentus fuerat, quas ab intellectu percipi decernebat, Philosophus inquam (III. de Anima text. 9) tueri objectum proprium intellectus nostri in eo reponendum, quod intellectus directe apprehen-

dat quidditates materiae abstractae a principiis materialibus eas individuas (ibid., et sic affectas actu intellectibiles. Eleganter hanc doctrinam explicatius tradit idem Sigericus (*l. Phys.*, Cap. 1. Text. 1.) docens intellectum nostrum utpote in potentia ad omnem intellectionem, et intelligentem per species a rebus sensibilibus acceptas, atque abstractas, procedere a cognitione imperfectiori ad perfectiorem, idest ab universali ad minus universale. Hoc declarat afirmando, plurimum interesse inter notiora naturae et notiora quoad nos; idcirco tamen universaliora, quae minus actualitate ad profunda minorem intelligibilitatem habentia, sunt minus nota naturae, sunt tamen, ut notiora quoad nos, quia imperfectiori intellectus nostri magis proportionalia. Religio foret aures eius verba reo explanantia silentio praeterire. «Naturaliter autem constituta est via ab his, quae sunt nobis notiora, et clariora, ad ea quae sunt clariora, et notiora natura: non enim eadem sunt et nobis nota, et simpliciter: quare necesse est hoc modo progredi, nimirum ex his quae natura sunt obscuriora, nobis tamen sunt clariora, ad ea, quae sunt notiora et clariora natura. Ea enim sunt nobis primum perspectiva et manifestia, quae clariora natura. Ea enim sunt nobis primum perspectiva et manifestia, quae sunt magis confusa.... *Il circo ab universalibus ad singularia progredi oportet.*» (*l. Phys.*, cap. 1.) — Quibus verbis nihil excogitari potest sapientius, et ad naturam cognitionis nostrae aptitudinem accommodatum magis; et sic philosophorum princeps naturam ipsam acute ac diligenter speculatus verissimam ac mirabilem exhibet super cognitionis hominis intellectiva doctrinam et eam utrimque secerant, tum a sensitiva, quae circa singularia materialia versatur, tum ab illa intelligendi periecta et absoluta ratione, quae propria est formatum separatarum, ad quae spatul per species pure intellectibiles immateria-liter omnino res materiales in sua singularitate directe cognoscere.

Haec philosophandi ratio profecta ab Aristotele, repetita a Boetio, explicata ab Alberto M., estericque polioris scholae principibus, ab Aquinate nostra suscepta, et profundius Angelica sui ingenii acie explorata, ad supremum perfectionis fastigium evecta fuit. Principium illud amplexatus a Philosopho traditum, videlicet obiectum cognitionis virtuti cognoscitivae proportionatum esse debere, atque ita notiora naturae esse minus nota quoad nos: alius se attollit Aquinas, et res omnes creatas praetergredius supra ac divina contemplantur, et lumine fidei suffuldas explicare ingreditur, cur Deus gloriosus, qui natura notissimus est, cum sit infinitus et immetatae intelligibilitatis complectens in suo purissimo actu omnes essendi perfectiones ac nobilitates, attingi naturaliter nequeat, prout in se est, ab aliquo creato intellectu, qui quum potentialitatem in se essentialiter includat, naturalem nequit habere proportionem cum obiecto, quod sit actus purissimus cum nulla reali potentia concretus ac commentatus (*l. p. q. XII. s. 4.*)

Haec breviter indicata, ac videlicet pronuntians labris delibata satis ostendunt eum non haberi quanta in hac peripatetica philosophandi ratione et quam excellens sub ratione abstractissima et generalissima entis, quocum quum idemque respice est, differens solummodo ratione. Nam, positus quae de natura, et obiecto cognitionis meminimus, sic ratio ad id efficiendum facillime concluditur. — Conceptus imperfectissimus omnium est primus via originis imperfectissimus. Atque conceptus actualis confusus entis est conceptus omnium imperfectissimus. Ergo est primus via originis. — Propositio maior et minor ex paulo ante traditis in exploratis habendae sunt (*cf. CAJETANUS. Com. ad Prooemium de Ente et Essentia.*)

Sic profecto innotescit veritas verborum illorum quae Aquinas initio Prooemii

posuit, inquires: *Ens autem et essentia sunt quae primo in intellectu concipiuntur.*

Haec philosophandi ratio, quam ab Aristotele ductam, a S. Thoma suscepam, perfectamque admirari sumus, non placuit Scoto, eiusque adimplantibus, qui cognitionem nostri intellectus ab obiecto singulari exordia capere trinit sunt; et sic vel perfectionem intellectui nostro tribuunt, qua minime gaudere dicendus est, si cognitio haec quidditativa adstruat; vel intellectum a sensu non satis segregant, ac sequeunt, si ab intellectu solummodo factum concretas existentiae rei materialis ac singularis deont attingi; vel saltem naturae existentiae rei materialis ac singularis deont attingi, ut merito consultura, quae tam sapienti, ac callido artificio omnia efficiat, ut merito consultrix, ac provida omnium opportunitatum dicta sit, praepostere inducit operari; cum a perfecto ad imperfectum progredi ipsi oporteret, idest a cognitione particularis, ad cognitionem universalem.

Scotus itaque (*1^o sent. dist. 3^a q. 2^a*) peripateticam doctrinam paulo anto memoratam conatur vezara, atque hunc in modum summam suae sententiae proponit: «Primum actualiter cognitum confusa ordine originis est species specialissima, cujus singulare efficacius, et fortius primo movet sensum, sive sit audibile, sive visibile, sive tangibile. Quodcumque enim individuum fortius movet sensum, eius species primo cognita est cognitio confusa et hoc supposito quod singulare sit in debita proportione praesens sensui.» — Scoti haec ratio exposita reperitur et refutata, apud Cajetanum (*loc. cit.*) et fusius explicitiusque declaratur apud Grossetium Krisper in libro quem de Scoti philosophia inscripsit.

Huius doctrinae, quae pulcherrimam Aristotelis de ordine cognitionis nostrae sententiam radicibus labefacta, non defere assertores, atque adimplantatores, maxime inter recentas, qui post eversam a Cartesio scholasticam philosophiam de his quaestionibus disputant, quique fere omnes ea usi sunt: verum inter antiquiores praestat citare Antonium Trombeta Scotistam minime contemptum, qui Magistris sui Scoti susceptis dogmata, Angelici Doctoris pergnaciter adortur doctrinam, et singula S. Thomae argumenta impetare, et infirmare nititur.

Longum esset sane, si omnia recitare vellemus, quae laudatus auctor contra Aquinatis doctrinam congerit: aliquid nihilominus in commodum tyronum placet hic cursim delibare. Et primo, ex ipsis S. Thomae dictis cum eum coarguere conat. Ex doctrina Aquinatis, ait, haec duo explorata, ac aperta sunt. *1^o* Quidquid est in re, et ex natura rei, est singulare. *2^o* Omne, quod praecedit actum intelligendi, vel quiddid intelligitur actu directo est reale, secus scientia non esset de rebus. His duobus datis, sic conortetur, ac concludit argumentum. Quidquid est in re est singulare. Quidquid prima intellectione intelligitur est in re. Ergo quiddid prima intellectione intelligitur est singulare: atque ita non est magis universale, quod primo cognoscitur.

At pace nobilitate scoticae dissonant, ipsum ludere ambiguis, et talia sumere in sua ratione, quae si concederentur, in gravissimum nos coniecerent, absurda. Et re sane vera, sui argumenti propositio maior, uti scite animadvertit Cajetanus, duplicem habere potest sensum plane diversum: vel *1^o* Quidquid est in re habet esse singularitatem idest receptum in subiecto singulari; et hic sensus reatus, verusque est: vel *2^o* Quidquid est in re est per se singulare, et individuum, et hic sensus falsus perversusque est: etenim in rebus materialibus (uti ipse notat Cajetanus apud S. Thomam natura, et singularitas distinguuntur *realiter*; idest id quod est singulare, et id, quo res ad singularitatem determinatur, distinguuntur *realiter* in substantiis compositis; secus ac in substantiis separatis, in quibus natura, et singularitas, nempe principia illam individuantia unum idemque sunt; et hoc in causa est quare prima sint numerice multiplicabiles in eadem specie, cum differentia inter individua, non sumatur a principiis formalibus secundae vero non item: iuxta illud ab Aquinate usurpatum: Si id per quod Socrates est Socrates esset

idem, ac id per quod Socrates est homo, sicut non potest esse nisi unus Socrates ita non potest esse nisi unus homo (1. p. q. XI. a. 3.) Et sic jacet tota Antoni Trombeta conclusio. De hac re dissertit accurate Aquinas (*Opus de questionibus oppositis* cap. 49).

Hanc eandem doctrinam imprudenter tradiderat Aristoteles (3^o De Anima cap. 2. Text. 9.). Quem locum enarrans Sylvester Maurus doctissimus Philosophi interpres haec ad rem nostram habet. « Praemittit (Philosophus) quod aliter se habent ad quidditatem speciei substantiae materiales, aliter substantiae immateriales. Substantiae enim materiales supra quidditatem speciei addunt materiam individualem...; e converso substantiae immateriales nihil addunt materiam individualem...; e converso substantiae immateriales ita est sua quidditas specifica, ut nihil addat supra eam quidditatem; at substantiae materiales supra eam quidditatem addunt materiam individualem... Hoc praemisso docet Aristoteles quod anima discernit tum quidditates rerum materialium, tum individua habentia tales quidditates, sed ita, ut vel per diversam potentiam discernat individua, per diversam discernat quidditates individuum, vel saltem per eandem potentiam diverso modo se habentem, et operationem discernit individua et quidditates individuum... Intellectus enim quidditatem hominis discernit primo et per se. Primo enim et per se cognoscit, quod homo est animal rationale, et per hoc differt ab animalibus irrationalibus: at individua quorum est quidditas intellectus cognoscit quodammodo reflexe. » — Cf. integrum locum.

Sed ut ad rationem propositam ab Antonio Trombeta, quocum parata haec contentio est, revertamur, animadvertimus ejus argumentum, si qui efficacia, ac valoris habet, aliquid assumere, et praesupponere ut datum, quod si concederetur omnis nostra cognitio penitus corrueret. Nam, si ex eo quod res existens sunt singulares et individuae, quod nemo sanus inficiatur, concludit intellectum nostrum primo, et directe intelligere singulare, et individuum quia, quod intelligit, est in re; profecto fatetur admitendum esse ut ratum principium illud, quo tantopere abusi sunt tum veteres ante Aristotelem, tum recentes nostris temporibus; nimirum ad cognitionis veritatem oportere ut modus essendi rei idem sit, ac modus intelligendi rem. Quo ex dogmate multiplicibus oppositisque erroribus facilis ac recta patet via. Cum enim in illo falso dogmate proficendo concordet unanimesque fuisse inter antiquos Plato, Parmenides, Heraclitus, Empedocles, alique; inter recentes, sensistae, pantheistae, philosophi transcendentes, et demum Ontologi; ex ipso, ope cuiusdam verae propositionis assumptae talia deduxere, quae non solum philosophiae sed ipsi communi hominum sensui cladem, perniciemque afferre possent. Nam, si semel constituto dogmate, quod objecta eodem modo sunt in cognoscente, ac in seipsis, Heraclitus enim nullam rem veram subsistet. Omnia corpora sunt in seipsis materialiter, mutabiliter et in perpetuo fluxu. Ergo omnia corpora sunt in cognoscente materialiter, mutabiliter, et in perpetuo fluxu. Sed ad scientiam requiritur, ut objectum sit in cognoscente immaterialiter, immutabiliter, ita ut certo constat, rem non posse aliter se habere. Ergo non datur scientia (Arist. *Met.* 4^o text 22^o).

Ex opposito subsumpsit Plato: Objecta habent in intellectu quoddam esse universale, immaterialiter, necessarium, et immutabile. Ergo praeter objecta singularia, et mutabilia dantur a parte rei objecta universalis, immaterialia, immutabilia, atque ita praeter homines singulares, qui nascuntur et occidunt, datur per se homo universalis qui semper est animal rationale, et non dependet a materia, et a conditionibus loci et temporis.

Inter recentes subsunt Ontologi. In ordine ontologico prius est Ens absolutum, postmodum res create. Ergo in nostro intellectu prius debet esse cognitio Dei, et deinde creaturarum; et sic Deus est primum intelligibile re late ad intellectum nostrum.

Sensistae ex alia parte concludunt sic. Res extra intellectum sunt sensibiles, et singulares. Ergo objectum intellectus est sensibile et singulare.

Quam ad rem Angelicus Doctor ut philosophiam a falso illo ac pernicioso dogmate purgaret, ex quo tanta errorum sogos in eam permanarant, summa diligentia ac studio oppositam veritatem quae latissime patet, conatur explicare, et multiplicibus variatam modis confirmare; nimirum ad veritatem cognitionis handquam requiri, rem esse in seipsa eodem modo, ac est in cognoscente: quod pronuntiatum hac etiam conclusit formula. « Modus rei cognitae in suo esse non est idem ac modus intelligendi rem. » Quod sic acute, ac nervose confirmat: « Intellectus etsi intelligat res per hoc, quod similis est eis quantum ad speciem intelligibilem, per quam fit in actu; non tamen oportet quod modo illo sit species illa in intellectu, quo in re intellecta. Nam omnia, quod est in aliquo est per modum ejus, in quo est. Et ideo ex natura intellectus, quae est alia a natura rei intellectae necessarium est, quod alius sit modus intelligendi, quo intellectus intelligit, et alius sit modus essendi, quo res existit. Licet enim in re esse oporteat, quod intellectus intelligit, non tamen eodem modo. Unde quavis intellectus intelligit mathematica non contingendo sensibilia, et universalis praeter particularia, non tamen oportet quod mathematica sint praeter sensibilia, et universalis praeter singularia. » (*Met.* 1^o Lect. 10 et uberior de Anima lib. 2 Lect. 12).

Concludimus ergo, argumentum quo Ant. Trombeta efforcere nititur, singulare prius et directe ab intellectu cognosci, in ambiguis versari, et aliquid ut concessum supponere, ex quo, si daretur, errores admodum periculosi progigerentur: intellectus quippe non posset intelligere separatim, quae in re sunt commentata, et concreta; iterum cognitio universalis, si qua adstrueretur, vel falso tem cognosceret, vel non perciperet aliquid reale. — Alia argumenta quibus Trombeta Aquinas peripateticam doctrinam insecutur, reperire est enucleate proposita, et rite soluta apud Cajetanum (loc. cit.)

Remanet ergo rata, atque firmissima elegans illa doctrina quam post Aristotelem polioresque doctores professus est S. Thomas, nimirum: — 1^o intellectum nostrum fuisse creatum in potentia ad omnem intellectionem; — 2^o ipsum procedere in intelligendo ab actu imperfecto, ad perfectum, ac prout a cognitione confusa ad distinctam; — 3^o cognitionem universalem esse magis confusam cognitione particulari; — 4^o consequenter universaliora esse priora in nostra cognitione; — 5^o demum conceptum entis, utpote universalissimum, et abstractissimum esse primum relate ad intellectum nostrum.

Quocirca a conceptu Entis enucleando sapientissime in hoc opusculo exorditur Auctor, et circa prima scienti principia errores videntur, qui latissime patere solent. Principia quippe virtute complectuntur in se cuncta, circa quae scientiae versantur. Merito ergo illud Philosophi laudatur: « Parvus error initio magnus est in fine. »

CAPUT PRIMUM.

Quid nomine Entis et Essentiae veniat, patefacit; nomina varia recenset et explicat, quae essentiam significant.

Sciendum est quod, sicut Philosophus dicit in 5 Metaphys., ens per se dicitur dupliciter: Uno modo, quod dividitur per decem genera; alio modo, quod significat propositionem veritatem. Horum autem differentia est, quia secundo modo potest dici ens omne illud de quo affirmativa propositio formari potest, etiam illud in re nihil ponat; per quem modum privationes et negationes entia dicuntur: dicimus enim quod affir-